

talis fuit missio Filii in carne assumpta, et Spiritus Sancti in specie columbae super Christum.

Missio invisibilis, est ea, quae fit sine specie sensibili, per gratiam interiorem, qua Deus homines sanctificat.

DISSERTATIO II.

De personis divinis in particulari.

Nota. Cum jam multa de personis divinis in particulari exposuerimus, restat hic de earum nominibus; tam propriis, quam appropriatis.

Nomen *proprium*, est illud, quod uni personae realiter ita convenit, ut alteri minime convenire possit.

Nomen *appropriatum*, est illud, quod, licet realiter toti Trinitati sit commune, tamen, propter quamdam rationem specialem, uni personae singulari modo tribuitur.

Quaeres 1. *Quot sint nomina primae personae propriae?*

Resp. Dicitur 1. *Pater*, quia proprie generat Filium, 2. *Ingenita*, non quia non nascitur; hoc enim sensu Spiritus Sanctus est ingenuus; sed quia non producitur. 3. *Principium fontale totius divinitatis*, quia Filio et Spiritui Sancto divinitatem ex sua infinita foecunditate communicat: unde *divinitas* sumitur hic in concreto, pro personis quae a Patre ducunt originem.

Quaeres 2. *Utrum Pater possit etiam dici causa, et auctor Filii et Spiritus Sancti?*

Resp. 1. Juxta usum Latinae vocis non potest ita vocari; quia causa apud Latinos definitur, *principium influens esse in aliud*: unde importat diversitatem substantiae et dependentiam unius ab alio.

Resp. 2. Apud Graecos *Pater* saepius dicitur causa et auctor Filii et Spiritus Sancti; sed improprie et lato modo, quia per illas voces intelligunt duntaxat princi-

pium originis, ut luculenter explicat Cardinalis Bessarion, sess 25. *Concil. Florentini.*

Quaeres 3. *Quodnam est nomen primae personae appropriatum?*

Resp. Per appropriationem dicitur, *primum creaturarum principium*; quare vocatur, *Pater noster, creator omnium*. Congruenter enim ratio primi principii creaturarum appropriatur ei, qui primum est in Trinitate principium.

Quaeres 4. *Quaenam sunt nomina secundae personae propria?*

Resp. Dicitur 1. *Filius*, quia procedit per veram generationem. 2. *Verbum*, quia est terminus ab intellectu Patris foecundo productus. 3. *Imago*, quia est similis Patri in natura, vi processione suae formaliter, ut supra probavimus.

Quaeres 5. *Quodnam est nomen appropriatum Filio?*

Resp. Est, *sapientia*: cum etiam sapientia sit virtus intellectus, congruentissime appropriatur Filio, qui est terminus sapientiae intellectionis.

Quaeres 6. *Quaenam sint nomina tertiae personae propria?*

Resp. Dicitur 1. *Spiritus Sanctus*, non quidem hoc sensu quod sit immaterialis et omnis impuritatis expers: sic enim est nomen essentiale, commune tribus personis, sed hoc sensu, quod sit *spirata*, et quidem per voluntatem, a qua est omnis sanctitas. 2. *Donum*, quia procedit ex voluntatis inclinatione, cujus est dare gratuito et sine spe retributionis; ergo est donum notionaliter sumptum. 3. *Amor*, quia est terminus subsistens ac personalis mutui amoris Patris et Filii.

Quaeres 7. *Quaenam sunt nomina Spiritui Sancto appropriata?*

Resp. Ipsi tribuuntur omnia opera bonitatis, charitatis, et misericordiae; quia ex perfectissima charitate procedit. Hinc vocatur *Paraclitus*, id est, consolator;

consolatur enim nos per dona gratiae, quibus nos cumulat.

DISSERTATIO III.

De mutua praedicatione nominum absolutorum de relativis, et relativorum de absolutis.

Quaeres 1. *Quomodo nomina absoluta abstracta praedicentur de personis?*

Resp. Praedicantur in singulari, non vero in plurali: hinc recte dicitur: *Tres personae sunt una deitas, una sapientia, &c.* sed perperam diceretur: *Sunt deitates, sapientiae, &c.* Ratio est, quia nomina abstracta formam sine subjecto significant; atqui in Deo est unica forma; ergo, &c.

Quaeres 2. *Quomodo nomina absoluta concreta praedicentur de personis?*

Resp. Si sint nomina substantiva, vel adjectiva substantive sumpta, praedicantur de personis in singulari tantum; si vero sint adjectiva, praedicantur de personis in plurali. Ratio est quia forma in nominibus substantivis, vel adjectivis substantive usurpatis, significat per modum substantiae, et habentis esse per se: e contra in adjectivis significat per modum accidentis, seu, adjacentis suo supposito, et in eo esse habentis; ergo in nominibus substantivis, vel adjectivis substantive usurpatis, singularitas vel pluralitas petitur a singularitate, vel pluralitate formarum, in adjectivis petitur a singularitate, vel pluralitate suppositorum; atqui in Deo est unica substantia, plura vero sunt supposita; ergo, &c. Hinc recte dicitur: *Tres personae sunt unus Deus, unus creator;* sed perperam diceretur: *Sunt tres Dii, tres creatores.* Recte etiam dicitur: *Tres personae, sunt tres creantes; &c.*

Quaeres 3. *Utrum personae possint praedicari de nominibus absolutis?*

Resp. affirm. Ratio est, quia inter personas et essentiam est realis identitas. Hinc istae propositiones sunt verae: *Essentia, seu, Deus est tres personae, Essentia est Pater; Deus, vel essentia est paternitas.*

Quaeres 4. *Utrum nomina absoluta abstracta supponant pro personis?*

Resp. negat. Alias essentia produceret seipsam, cum eadem numero sit essentia in tribus personis. Hinc si haec propositio: *Essentia generat, esset vera, redderet hunc sensum: essentia producit seipsam, quod repugnat, producens enim realiter debet distinguari a producto.*

Quaeres 5. *Utrum nomina absoluta concreta supponant pro personis?*

Resp. Aliquando supponunt pro essentia, aliquando pro persona. Nam haec propositiones sunt verae: *Deus creat: Deus generat;* atqui in prima propositione, *Deus* supponit pro essentia; in secunda supponit pro persona; ergo, &c.

TRACTATUS IV.

DE DEO CREATORE.

Nota. **M**oyses Genes. 1. narrat creationem hujus mundi aspectabilis sex diebus perfectam fuisse, refertque quid singulis diebus productum fuerit, ad quem remittimus eos qui ordinem creationis voluerint scire, ut disseramus, 1. De Angelis, 2. De primo homine.

DISSERTATIO I.

De Angelis.

Agenus, 1. De existentia, natura Angelorum, et de statu in quo fuerunt conditi. 2. De loco, motu, potentia motrice, et locutione Angelorum. 3. De eorum peccato et ejusdem poena. 4. De variis eorum ordinibus, ac de eorum missione, illuminatione, et custodia.

CAPUT I.

De existentia, natura, et statu in quo Angeli fuerunt conditi.

Quaeres 1. *Utrum existant Angeli?*

Resp. affirm. De iis enim frequenter loquitur Scriptura: Genes. 22. *Angelus Domini de coelo clamavit, dicens, Abraham, &c.* Matth. 18. *Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris.* Haec veritas definita est in Concilio Lateran. cap. firmiter.

Quaeres 2. *Quo tempore Angeli fuerunt creati?*

Resp. Simul cum mundo creati sunt, nec ante, ut constat ex cap. firmiter, et prob. ex Genes. I. In principio creavit Deus coelum et terram, ubi sub nomine coeli comprehendit Angelos, ut explicatur Exodi 20. *Sex diebus fecit Dominus coelum, terram, et omnia quae in eis sunt;* ergo et Angelos qui in coelis continentur.

Quaeres 3. *Quid sit Angelus?*

Resp. Est, *substantia creata, spiritualis, completa.* Dicitur 1. *Substantia creata:* id est, per se subsistens et ex nihilo producta.

Dicitur 2. *Spiritualis,* id est, incorporea, sunt enim *Administratorii Spiritus,* Hebr. 1. atqui ex Lucae 24. *Spiritus carnem et ossa non habet.*

Dicitur 3. *Completa:* id est, non ordinata ad alterius compositionem: per hoc ab anima rationali distinguitur, quae quidem est spiritualis, sed incompleta, et ordinata ad corpus, quocum unum per se efficit.

Hinc Angelus est immortalis et incorruptibilis, quia non constat ex partibus, quae disolvi possint, utpote Spiritus.

Quaeres 4. *In quo statu Angeli fuerunt creati.*

Resp. 1. Fuerunt creati in statu beatitudinis naturalis. Quia fuerunt creati in perfectione excludente omnem miseriam: miseria enim est poena peccati.

Resp. 2. Non fuerunt creati in statu beatitudinis supernaturalis. Nam de ratione beatitudinis supernaturalis, est stabilitas et confirmatio in bono; atqui Angeli, statim ut creati sunt, stabiliti et confirmati non fuerunt in bono, ut patet ex lapsu malorum angelorum; ergo, &c.

Resp. 3. Fuerunt creati in statu gratiae sanctificantis: ut constat ex Ezech. 18. ubi quod de rege Tyri ad litteram dicitur, a SS. Patribus de lucifero intelligitur: *Ambulasti perfectus in viis tuis a die conditionis tuae, donec inventa est iniquitas in te;* per peccatum amisit perfectionem, non naturalem; ergo supernaturalem; sed perfectio supernaturalis consistit in gratia sanctificante; ergo.

CAPUT II.

De loco, motu, potentia motrice, et locutione Angelorum.

Quaeres 1. *An Angeli sint in loco?*

Resp. affirm. Nam, Apocal. 20. dicitur, diabolus fuisse ligatum et missum in abyssum; ergo est in loco; alias esset nullibi, quod repugnat.

Quaeres 2. *Quomodo Angelus sit in loco?*

Resp. 1. Non est in loco *circumscriptive,* quia non habet partes quae variis partibus loci correspondeant, cum omnis materiae sit expers.

Resp. 2. Est in loco definitive; quia certo spatio ita continetur, ut non sit alibi.

Quaeres 3. An Angeli moveantur localiter?

Resp. affirm. Nam transeunt de loco in locum fluxu continuo, ut constat ex Lucae 2. *Discesserunt Angeli a pastoribus in coelum.*

Quaeres 4. An Angeli possint movere corpora localiter?

Resp. affirm. Nam ex Danielis 14. Angelus portavit Prophetam Habacuc ex Judaea in Babylonem.

Quaeres 5. Utrum Angeli inter se colloquantur?

Resp. affirm. Isaiae 6. *Duo Seraphim clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, &c.*

Quaeres 6. Quomodo Angeli inter se colloquantur?

Resp. Angelus alterum Angelum alloquitur, suam intellectionem aut volitionem ad illum dirigendo per actum quo vult, ut utraque, vel alterutra illi pateat. Nam loqui ad alterum, nihil aliud est, quam conceptus mentis alteri manifestare, ait D. Thom. 1. Part. Quaest. 107. Artic. 1.

CAPUT III.

De peccato Angelorum, et ejusdem poena.

Quaeres 1. Quodnam fuit peccatum Angelorum?

Resp. Fuit superbia, qua aequalitatem cum Deo desideraverunt, in eo desiderio mirum in modum sibi complacentes, nam, Isaiae 14 de diabolo, sub nomine regis Babylonis, dicitur: *Detracta est ad inferos superbia tua. . . quomodo cecidisti de coelo, lucifer, qui mane oriebaris? qui dicebas in corde tuo: In coelum conscendam. . . similis ero Altissimo.*

Quaeres 2. Quot angelos lucifer secum traxerit?

Resp. Cum D. Thom. 1. quaest. 63. art. 8. cum quamplurimos secum traxisse, quamquam non tot, quot in gratia cum suo duce Michaelē remanserunt. Nam Apoc.

12. legitur draconem traxisse post se tertiam partem stellarum, id est, Angelorum, ut interpretantur Patres et Theologi.

Quaeres 3. Quotuplex poena consecuta est peccatum daemonum?

Resp. Quadruplex. *Prima*, est caecitas mentis, per quam privantur omni penitus lumine, non quidem naturali, quia peccatum non destruit naturam: sed supernaturali, ex quo fit ut nullum ordinem habeant ad vitam aeternam: Ezech. 28. *Ejeci te de monte Dei, id est, de gratia, et perdidisti te, o Cherub.*

Secunda est, obstinatio voluntatis in malo, qua fit ut nullum possint exercere actum moralem omnino bonum; unde vocantur spiritus mali, Psalmo 77. *Immisiones per Angelos malos.*

Tertia, est, exclusio a gloria. . . *Quarta*, est, tormentum ignis.

Quaeres 4. An detur aliquis locus in terrae visceribus ad cruciatum daemonum destinatus?

Resp. affirm. Ut testatur D. Petrus, Epistol. 2. cap. 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos ad tartarum tradidit cruciandos.*

Quaeres 5. An daemones torqueantur igne vero et corporeo?

Resp. affirm. Ut tradit communis Patrum et Ecclesiae sensus, in Scriptura fundatus, Deuter. 32. *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima.* Et Matth. 25. *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.*

Quaeres 6. Quomodo daemones ab igne corporeo torqueantur?

Resp. Hanc quaestionem esse mere philosophicam, de qua nihil certum posse haberi in hac vita, iagenue fatetur Div. Aug. l. 21. de Civit. Dei, cap. 10 dicens:

Quamvis miris, tamen veris modis, etiam spiritus in corporeos posse poena corporalis ignis affligi.

CAPUT VII.

De variis Angelorum ordinibus, ac de eorum missione, illuminatione et custodia.

Quaeres 1. **U**trum Angeli sint in magno numero?

Resp. affirm. Nam, Daniel. 7. dicitur: Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.

Quaeres 2. Quomodo ordinantur Angeli?

Resp. In Hierarchias et Choros. . . Hierarchia, definitur, multitudo ordinata sub unius sacri Principis gubernatione, ad sacras functiones destinata. . . Chorus, definitur, Hierarchiae angelicae gradus unus, conveniens in Hierarchiae suae communi modo illuminationis, distinctus secundum officia diversa.

Quaeres 3. Quot sint Hierarchiae Angelorum?

Resp. Tres a D. Dionysio recensentur, l. de coelesti Hierarchia, cap. 6. nempe, *supremae*, quae immediate a Deo recipit illuminationes, easque transmittit Angelis secundae Hierarchiae. . . *media*, quae divinas illuminationes immediate recipit ab Angelis primae Hierarchiae, easdem transmittit Angelis tertiae Hierarchiae. . . *infima*, quae divinas illuminationes recipit ab Angelis secundae Hierarchiae, easque transmittit hominibus.

Quaeres 4. Quot sunt chori Angelorum?

Resp. Novem, nempe, tres in qualibet Hierarchia. . . In prima continentur *Seraphini, Cherubini, et Throni*. . . In secunda, sunt, *Dominationes, Virtutes, et Potestates*. . . In tertia, sunt, *Principatus, Archangeli, et Angeli*.

Quaeres 5. Utrum, et a quo Angeli mittantur?

Resp. Angeli hominibus a Deo mittuntur, tum ad quaedam ipsis exhibenda ministeria; tum ad ipsis prae-nuntianda ventura; sic Tobiae 12. Angelus Raphael ait: *Tempus est ut revertar ad eum qui me misit: Et Lucae 1. Missus est Angelus Gabriel a Deo, &c.*

Quaeres 6. Utrum Angeli ab aliis Angelis superioris Hierarchiae mitti possint?

Resp. affirm. Quia inter Angelos est praelatio, nam Daniel 10. *Michael*, dicitur, *unus de principibus primis*.

Quaeres 7. Utrum Angeli illuminent homines?

Resp. affirm. Estque de fide, nam revelant hominibus plures veritates, juxta illud Danielis 9. *Docuit me, (Gabriel) dixitque: Daniel, nunc egressus sum ut docerem te, et intelligeres, &c.*

Quaeres 8. An Angeli deputentur ad custodiam hominum?

Resp. affirm. Idque fides docet, ut constat ex Psalm. 90. *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te.*

Quaeres 9. An singuli fideles suum habeant Angelum custodem?

Resp. affirm. Constat ex Matth. 18. *Videte, ne contemnatiss unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est.* Ubi Christus cum dicit, *Angeli*, significat, non unum, sed plures pluribus praefici: cum dicit, *Angeli eorum*, significat singulis deputari. Unde S. Hieronym. in cap. 18. Matthei exclamat: *Magna dignitas animarum, ut unaquaeque, ab ortu navitatis, habeat in custodiam sui Angelum delegatum.* Ubi non distinguit inter fideles, et infideles ac reprobos.

Quaeres 10. Utrum singula regna habeant Angelos custodes?

Resp. affirm. Nam Danielis 10. fit mentio Angeli qui praeerat regno Persarum, et alterius Angeli qui praeerat regno Graecorum: unde D. Basilius, de An-

gelis agens, ait: *Alii ipsorum gentibus praepositi sunt, alii fidelium singulos consequuntur.*

Imo, communis est sententia Patrum, singulas Dioeceses, civitates, et communitates, suos Angelos tutelares habere. Ita docent Origenes, *Hom. 20. in Numeros. D. Ambros. lib. 2. in Lucam, &c.*

Quaeres 11. *Quaenam ministeria circa nos exercent Angeli custodes?*

Resp. 1. Homines a periculis imminentibus liberant, *Genes. 48.* dicit Jacob: *Angelus qui eripuit me de cunctis malis...* 2. Impediunt ne daemones hominibus nocent. *Tobiae 8.* 3. Pias cogitationes suggerunt ad prosecutionem boni et fugam mali: unde Deus Moysen hortatur ut audiat Angelum *Exodi 13. Observa eum et audi vocem ejus, nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in illo...* 4. Preces nostras Deo offerunt, suasque nostris conjungunt, *Apoc. 8. Alius Angelus venit... ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei...* 5. Clientium suorum animas in Purgatorio consolantur, easque plene purgatas ad coelum deducunt, *Lucae 16. Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae.*

Quaeres 12. *Utrum quilibet homo, ad pugnam habeat angelum malum?*

Resp. 1. Quod daemones hominibus semper nocere conentur, eos, Deo ita permittente, impugnando, et ad peccatum impellendo: quare *Apost. Ephes. 6.* docet nos debere collectari, *adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum.*

Resp. 2. Non est credendum: quod Deus cuilibet homini tentatorem mittat ad exercitium; quia hoc reputat bo. itati Dei, qui *Jac. 1. Neminem tentat.*

Resp. 3. Valde probabile est luciferum cuilibet homini daemouem tentatorem deputasse, ut colligi posse

videtur ex *1. Petri 5. Vigilate quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quaerens quem devoret.*

DISSERTATIO II.

De primi hominis creatione.

Quaeres 1. *Quinam fuerint primus homo et prima mulier?*

Resp. Fuerunt Adam et Eva. Est de fide contra Praeadamitas. Dicitur enim *Genes. 2. Homo non erat qui operaretur terram... formavit igitur Dominus Deus hominem, &c. Et Sapientiae 10. Haec (sapientia) illum, qui primus formatus est a Deo Pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit.*

Quaeres 2. *Ubinam fuerint conditi Adamus et Eva?*

Resp. Fuerunt conditi extra Paradisum voluptatis, in quem paulo post translati fuere, *Genes. 2. Tulit ergo Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis. Ubi per tō hominem, intelligitur Adamus, et Eva, juxta illud Genes. 1. Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum et foeminam creavit eos.*

Quaeres 3. *Quomodo Adam et Eva creati sunt?*

Resp. 1. Adam ex limo terrae formatus fuit a Deo, qui *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae*, id est, animam, *Gen. 1.* unde corpus ex praesupposito subiecto productum est; anima econtra ex nihilo creata est... 2. Corpus Evae formatum est ex costa Adami, quam Deus extraxit, et spatium quod occupabat replevit carne. *Genes. 1.*

Quaeres 4. *Quare Scriptura dicit, mulierem esse datam viro in adiutorium?*

Resp. Hoc dicitur eo quod data sit ad filiorum generationem. *Ad quod aliud ajutorium mulier facta sit viro*, inquit D. Aug. lib. 9. de Genes. ad litteram, c. 7. *si generandi causa substrahatur?*

Quaeres 5. *In quo consistit imago et similitudo Dei, ad quam homo factus est?*

Resp. In eo consistit, quod homo intellectu, voluntate libera, et dominio in alias creaturas sit praeditus; per has facultates enim, pro modulo suo imitatur suum exemplar: nempe per intellectum efformat Verbum, in quo ipsi repraesentantur omnia quae sub ejus notitia cadunt. Per voluntatem liberam, non solum producit amorem eorum omnium quae intellectus amanda proponit; sed etiam actuum suorum est Dominus; atque praest cunctis animantibus, ideo dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et praesit piscibus maris, et volatilibus coeli, &c.*

Quaeres 6. *In quo statu primus homo fuit creatus?*

Resp. In statu justitiae originalis. Nam Eccl. 7. dicitur: *Deus fecit hominem rectum.* Atqui illa rectitudo est justitia originalis, qua anima hominis erat perfecte subdita Deo, et appetitus sensitivus perfecte subditus animae, &c.

Quaeres 7. *Quot sint dotes justitiae originalis?*

Resp. Sunt quinque. *Prima est gratia sanctificans*, quam in suo ortu accepit primus homo. Juxta illud Eccl. 17. *Deus creavit de terra hominem.... et secundum se vestivit illum virtute.* Quem textum PP. ac interpretes intelligunt de gratia justificante, quam Adamus accepit in sua creatione.

Secunda dos, est, *scientia*, quam primus homo in suo ortu tantum accepit a Deo, ut non potuerit esse errori obnoxius. Juxta illud Eccl. 17. *Deus.... disciplina intellectus replevit illos, creavit illis scientiam spiritus.* Quare D. August. lib. 3. de lib. arbitr. cap. 18. dicit: *Approbare falsa pro veris, ut erret in-*

vitus, non est natura instituti hominis, sed poena damnati.

Objicies: Eva innocens dicit, Genes. 3. *Serpens decepit me, et comedi;* ergo.

Resp. Nego ant. Nec enim Eva innocens erat quando fuit decepta, jam enim peccaverat in corde, per internam electionem, ait D. August. lib. 11. de Genes. ad litteram.

Tertia dos, est subjectio partis inferioris ad superiorem, qua homo innocens nullis inordinatis concupiscentiae motibus fuit obnoxius. Nam Eccl. 17. *Deus fecit hominem rectum;* atqui non fuisset rectus si inordinatis concupiscentiae motibus fuisset obnoxius: ergo. Hinc Conc. Trid. Sess. 5. can. 5. definivit, concupiscentiam ideo ab Apostolo dici peccatum, *quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat.*

Quarta dos, est, *immortalitas*, ut fide constat contra Pelagium; nam Sap. 2. dicitur: *Deus mortem non fecit: Invidia autem diaboli mors intravit in mundum.* Et Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum: et per peccatum mors.* Hinc Synodus Palestina hanc Pelagii propositionem damnavit ut haeticam: *Adam mortalis factus est, ita ut, sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset.* Idem definivit Conc. Trid. Sess. 5. can. 1.

Objicies: Corpus primorum parentum ante peccatum constabat ex elementis contrariis non secus ac nunc; ergo erat mortale.

Resp. Dist. conseq. Quia per dotem immortalitatis, quam homo innocens a Deo accepit in suo ortu, pugna elementorum fuit taliter impedita, ut nullam homini laesionem afferre potuerit, et sic mori non potuerit.

Inst. 1. Corpus Adami innocentis tandem consensuisset; ergo.

Resp. Neg. ant. Nam, ex D. Aug. lib. de peccat. meritis, cap. 3. corpus Adami innocentis, *habebat.... de ligno vitae stabilitatem contra vetustatem.*

Inst. 2. Corpus Adami potuit obrui aqua, igne, ferro, &c. ergo.

Resp. Nego ant. Quia singulari Dei providentia fuisset conservatum.

Inst. 3. Aug. loco cit. dicit: *Illud corpus, hominis innocentis, jam erat mortale; ergo &c.*

Resp. Dist. ant. Erat mortale, id est, poterat mori, conc. debebat mori, *nego ant.* Unde addit D. August. *Sed ipsum mortale, non est factum mortuum, nisi propter peccatum.* Et lib. 1. operis imperfecti contra Julian. dicit: *Poterat mori: poterat namque peccare.* Et lib. 6. de Genes. ad litt. cap. 25. *Mortalis ergo erat, conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris.*

Quinta dos, est immunitas ab omni miseria: quia erant beati beatitudine naturali. *Quis enim,* ait D. August. lib. 11. de Civit. Dei cap. 12. *primos illos homines in paradiso negare audeat beatos fuisse ante peccatum?*

Objicies: Homines in statu innocentiae famem et sitim passi fuissent, ad eas enim extinguendas usi fuissent cibo et potu; ergo.

Resp. nego ant. Neque enim cibus datus est hominibus innocentibus, ut famem extinguerent, sed ut ipsam vitarent, ait D. August. lib. 14 de Civitate Dei, cap. 26.

Quaeres 8. Quid sit status naturae purae?

Resp. Est, conditio naturae humanae, consideratae in meris suis perfectionibus naturalibus absque gratia et peccato, obnoxiae tamen iisdem, quibus natura lapsa premitur, infirmitatibus: nimirum fami, siti, aegritudini, morti, et concupiscentiae.

Quaeres 9. Utrum status naturae purae fuerit possibilis? seu, quod idem est, utrum justitia originalis, sanctitas, immortalitas, &c. fuerint homini innocenti supernaturales? ad hujus quaestionis intelligentiam

Nota: naturale, hic dicitur, quod est secundum exi-

gentiam naturae, ipsique debitum, vel tanquam ejus pars, vel tanquam proprietas ex ejus principiis fluens, ita ut sine injustitia ipsi denegari non possit. . . . *Supernaturale* est quod superat omnem naturae humanae exigentiam, eique plane debitum est.

Resp. affirm. Et prob. 1. ex his prop. Bajii a Pio V. Greg. XIII et Urbano VIII. damnatis. . . . Prop. 21. *Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae, debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis. . . .* Prop. 23. *Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio, dono quodam supernaturali et gratuito, supra conditionem naturae suae fuisse exaltatum, ut fide, spe, et charitate Deum supernaturaliter coleret. . . .* Prop. 35. *Quesnelli, Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturae sanae et integrae.*

Prob. 2. Deus potest hominem creare cum defectibus naturalibus: *Quamvis,* inquit D. August. lib. 1. *Retract. cap. 9. Ignorantia et difficultas, etiamsi essent primordia hominis naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus.* Atqui concupiscentia, mortalitas &c. sunt defectus naturales, qui non possunt, nisi Creatoris gratia, impediri; ergo &c.

Objicies 1. Deus non potuit hominem creare cum concupiscentia et ignorantia. 1. Quia sunt poenae peccati. 2. Quia concupiscentia inclinat ad peccatum.

Resp. Nego ant. Nam 1. sunt poenae peccati in statu praesenti, *conc.* in statu naturae purae, *nego,* nam tunc non supplicium peccati, sed proficiendi admonitio et perfectionis exordium fuisset, ait D. August. lib. de lib. arbitr. cap. 20. 2. Concupiscentia non inclinat ad peccatum, *per se,* cum sit potentia concupiscendi bona sensibilia, quo sensu est bonum naturae; sed tantum *per accidens,* quod Deus permisisset ex munere causae primae.

Objicies 2. Deus non potuit creare hominem sine ordinatione ad suum finem ultimum: ergo nec potuit eum creare sine justitia et sanctitate ad illum finem assequendum ordinatis.

Resp. Dist. ant. Sine ordinatione ad suum finem ultimum naturalem, qui consistit in perfecta quadam contemplatione Dei abstractiva et ejusdem, ut auctoris naturae, amore, qui viribus naturae non depravatae elici potest, *conc.* sine ordinatione ad suum finem supernaturalem, qui consistit in visione Dei intuitiva et amore fructivo, *nego ant.*

Inst. 1. Deus non potuit creare hominem in eo statu, in quo non potuisset amare Deum propter se; at qui in statu naturae purae homo non potuisset amare Deum propter se; ergo &c.

Resp. Dist. min. Homo non potuisset amare Deum propter se, amore supernaturali, *conc.* ad hoc enim requiritur gratia, qua in illo statu caruisset. Non potuisset amare Deum amore naturali, *nego min.* Ad hunc enim sufficere possunt media naturalia, quibus Deus hominem juvasset in illo statu. Porro amor naturalis est possibilis, ut constat ex damnatione hujus propositionis Bajanae: *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturae, et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia, et ad illudendum sacris litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata.*

Quaeres 10. Quodnam fuerit peccatum primorum parentum?

Resp. Fuit superbia, quae est mater inobedientiae: nam Tobias, *cap.* 4. deterrrens filium suum a superbia, dat hanc rationem: *In ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.*

Quaeres 11. Quaecnam fuit causa peccati primorum parentum?

Resp. Causa illius extrinseca, fuit diabolus, qui illos

induxit ad divinae legis infractionem, dicens Evae: *In quocumque die comederitis ex eo. . . eritis sicut dii. . .* Causa vero interna, fuit eorum voluntas; cum nec ignorantia, nec concupiscentia laboraverint in illo statu.

Quaeres 12. Quale fuit peccatum primorum parentum?

Resp. Fuit mortale, nimirum superbia, qua independentiam a Deo sibi tribuere concupierunt.

Quaeres 13. Quaecnam fuerunt peccati primorum parentum poenae quoad corpus?

Resp. Fuerunt duae. *Prima* fuit ejectio e statu beatitudinis, in hujus vitae miserias, famem nempe, sitim, dolores, &c. *Secunda*, fuit mors corporalis. Utraque describitur *Genes.* 3.

Quaeres 14. Quaecnam fuerunt poenae quoad animam?

Resp. Fuerunt tres, *Prima*, fuit spoliatio omnium donorum supernaturalium. . . *Secunda*, fuit vulnus facultatum naturalium: nam licet naturalia in Adamo peccante extincta non fuerint, valde tamen sauciata fuerunt per quatuor vulnera quae Adamus accepit in potentiis animae, scilicet, *ignorantiam*, in intellectu; *malitiam* in voluntate; *infirmiorem* in irascibili; et *concupiscentiam* in appetitu concupiscibili. . . *Tertia*, fuit mortis aeternae debitum morale, quod Adamus per suum peccatum contraxit, et in hanc miseram sortem omnes posteros traxit, a qua non possunt exurgere, nisi per merita Christi mediatoris.